

qui confidit operibus, se mereri gratiam, is aspernas-
tur Christi meritum & gratiam, & querit sine Chris-
to humanis viribus viam ad Deū, cum Christus de
se dixerit, Ego sum via, veritas & vita.

Hæc doctrina de fide ubiq; in Paulo tractatur
Ephes. ij. Gratia salui facti estis per fidem, & hoc nō
ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, &c.

Et ne quis cavilletur, â nobis nouam Pauli in-
terpretationem excogitari, tota hæc causa habet tes-
timonia Patrum. Nam Augustinus multis volumi-
nibus defendit gratiam & iusticiam fidei contra me-
rita operum. Et similia docet Ambrosius de voca-
tione Gentium, & alibi. Sic enim inquit de vocatio-
ne Gentium, Vilesceret redemptio sanguinis Christi,
nec misericordiae Dei humanorum operum præroga-
tiua succumberet, si iustificatio quæ fit per gratiam,
meritis præcedentibus deberetur, vt non munus lar-
gientis, sed merces esset operantis.

Quanquã autem hæc doctrina contemnitur ab
imperitis, tamen experiuntur piæ ac pavidæ con-
scientiæ, plurimum eam consolationis afferre, quia
conscientiæ non possunt reddi tranquillæ per vlla
opera, sed tantum fide, cum certo statuūt, quod prop-
ter Christum habeant placatum Deum. Quemadmo-
dum Paulus docet Rom. v. Iustificati per fidem, pa-
cem habemus apud Deum. Tota hæc doctrina, ad
illud certamen perterrefactæ conscientiæ referenda
est, nec sine illo certamine intelligi potest. Quare
male iudicant de ea re homines imperiti, & prophæ-

C ij ni, qui